



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi Societatis Iesv

Cepari, Virgilio

Antverpiæ, 1630

Quâ modestiâ Magistri sui cubiculum accesserit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

obsecro, adesto mihi hallucinanti. Da mihi, Domine, sedium tuarum astricticem Sapientiam, ut mecum sit, & mecum laboret: aperi mihi huius rei intelligentiam. Asserebatque, se multum hac prece lucis impetrare. Tempus studijs assignatum, vniuersum studijs impendebat, nisi fortè contentionem remittere cogeret capitis dolor, quem aut sacri alicuius libelli, aut Rosarij recitatione mitigabat.

Quantumuis in studia esset procliuus, promptissimè tamen ea absque omni etiam repugnatione interrumperebat, quocumque alio negotio sibi à Superioribus dato, seu Sacris ministrandi, seu alios foras comitandi. Præceptorem suum honore longè maximo obseruabat. neq; triennij tempore rem vllam (quæ meritò ei displicere posset) aut factò aut verbo admisit: apud omnes numquam nisi honorificentissimè de eo locutus. Quoties ad Magistri cubiculum ibat, dubiorum proponendorum causà, si intrò adesse aliquem percepisset, foris ipse expectabat; aliòque egresso, ingrediebatur oculis demissis, nec in eum intuens: quòd iam nosset scilicet quem alloquebatur; habitoque honore, aperto manebat capite, dum iussus operire, tegeter quidem, sed nouà quaque proposità quæstione, denuò nudaret, tegeterque (ut si bene moratus filius adstaret patri) quod interloquen-

loquendum quoque cum Superioribus tenebat. Tum dubitationes Magistro proponebat, Latino semper sermone: ac si primâ statim explicatione responsionem non caperet, post exiguam cogitationis moram, modesto cum risu, apertè simpliciterque respondebat; *Verè, Pater, non intellexi.* at quando assequeretur quidem, sed tamen propositæ abs se quæstioni iudicabat non esse penitus allatam lucem, ne contendendi studio videretur Magistri sententiam oppugnare velle, ad eum modum respondebat, ac si suæ vitio tenuitatis tenebras nondum penetrasset, quibus diffusis, mox reddito inclinati capitis honore, discedebat. Si quando autem vnâ cum alijs collegis in Professoris fuisset cubiculum per causam aliquam aduocatus, quamprimum opportunè poterat, religiosâ se libertate recipiebat, abibatque gratiâ tantâ, vt remanentium nemo offenderetur. Prius aliquantò egredi cubiculo consuêrat, quàm scholæ signo manè vesperique vocaretur, ibatque ad Templum, salutaturus, vt dicitur, augustissimum Eucharistiæ Sacramentum: sed signo audito, erigens se, subito ad portam festinabat, ibique ceterorum expectans conuentum, legendo libello suo id temporis occupabat. Ad scholam ibat redibatque seuerè sibi indicto silentio. In scholâ scriptioni sic atten-